

LIBERTADES Y FRANQUEZAS

DE MENORCA

concedidas á la isla en 1301 por el rey D. Jaime II de Mallorca



UM ad excellentiam regiae magestatis pertineat suis subditis libertates, immunitates et privilegia concedere, necnon consuetudines bonas et observantias approbatas inviolabiliter observare, et subiectorum suorum invigilare commodis; idcirco Nos Jacobus Dei gratia Rex Maioricarum, Comes Rossilionis et Ceritaniae et Dominus Montis Pessulani, attendentes quod per bonos usus et consuetudines, franquitates et immunitates populi melius reguntur, et insulam nostram Minoricarum de Sarracenorum manibus caelesti prissione erectam de novo populaverimus, per nos et successores nostros presentes et futuros statuimus, damus et concedimus vobis Sanctio Garceris de Verga, filio militis, Berengario de Villari et Dominico de Torrentibus, sindicis universitatis hominum et feminarum habitantium et habitandorum in futurum, et dictae universitati, ac universis et singulis hominibus praesentibus et futuris de gentibus in villa Ciutadellae et Castro de Mahon, et in tota insula Minoricarum, quod sitis franqui in toto regno nostro, et per totas terras nostras quas possidemus, vel in antea largiente Domino possidebimus et adquiremus per terram et per mare ab omni leuda, pedatico, portatico, mensuratico et penso et ribatico, et ab omni questia, colta, forcia et demanda, prestito, oste et cavalcata, et eorum redemptione, nisi pro defensione et tuitione regni Maioricarum, et insularum eidem adiacentium quoties opus fuerit. Salvo quod solvatis pesum et mensuraticum in insula Minoricarum, prout ordinavimus et in civitate Maioricarum, sicut habitatores insulae extra civitatem solvere consueverunt, et in aliis locis nostris et dominationis

Rev. de Men.—Año I.—Núm. 2 (2.ª época).

nostræ, prout homines Maioricarum solvunt et solvere consueverunt.

2.—Item concedimus vobis et vestris et perpetuo statuimus, quod nunquam naufragium aliquod sit in partibus dictæ insulæ.

3.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod quicumque traxerit cultellum vel ensem contra alium minando vel irascendo, donet curiæ nostræ sexaginta solidos, vel perdat manum.

4.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod quilibet possit furem furantem res capere, quam citius possit, illum debeat tradere curiæ puniendum, sic quod si fur vel latro fuit servus debeat puniri corporaliter prout iustum fuerit arbitrio iudicis; ita quod dominus eius nullatenus teneatur pro eo emendam aliquam facere, nec eam dare pro noxia, nisi culpabilis dominus inde existeret.

5.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod nullus de adulterio puniatur in rebus vel persona, nisi mulier vel vir proponat querimoniam de violentia vel forcia sibi facta; violentiam autem fieri viro vel mulieri diiudicari volumus secundam legitimas sanctiones.

6.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod omnia maleficia quæ fient inter habitatores insulæ Minoricarum possint probi homines pacificare et deffinire, antequam clamor vel firmamentum fiat in curia; hoc excepto quod in gravibus criminibus curia possit assumere vindictam, et pœnam imponere malefactoribus, non obstante deffinitione vel pace facta per probos homines inter partes, propter hoc ne malefacta remaneant impunita.

7.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod actor et reus firment ius in querimonis suis, et qui subcubuerit solvat decimam partem rei petitæ, satisfacto tamen primitus conquerenti. Non tamen intelligimus pro firmis seu querimonis bonorum immobilium debere aliquid dari pro decima seu calonia.

8.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod pro prædicta decima curiæ non pignorentur lectus, arma, arca, vestes rei vel actoris, vel rei conventi.

9.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod habitatores villæ et castri ante dictorum et totius insulæ, et omnes extranei ibidem venientes litigent et pleitent de tertio in tertium diem. Sed si fuerint duo extranei litigantes, et unus extraneus fuerit sive agens sive defendens, et alter habitator dictæ insulæ, sit in electione et voluntate ipsorum extraneorum vel ipsius extranei de die in diem et quolibet die placitare.

10.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod in causis injuriarum, damnis et vulneribus procedetur (procedetur) secundum Usaticos Barcinone; secundum etiam quos Usaticos Barcinone volumus quod super questionibus et tormentis habendis malefactoribus et delinquentibus procedatur.

11.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod si debitor vel fideiussor transacto termino invenitur in insula supra dicta, non possit foris privilegium allegare; sed quod ibi teneatur respondere.

12.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod super aliquo crimine vel delicto vos vel vestri non teneamini facere batalliam per ferrum callidum, per hominem nec per aquam vel aliam ullam rem; ex hoc autem non intelligimus quod rei criminum (non) supponantur questionibus et tormentis secundum ordinationem prædictam.

13.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod curiæ sagio, vel alius officialis pro aliquo crimine vel causa suspicionis, non intrent domos alicuius, nisi cum duobus vel quatuor probis hominibus; et hoc quidem servari volumus in navibus, lignis, furnis et molendinis. In hoc vero non intelligimus quod officiales nostri et nostrorum (successorum) pro criminibus vel suspicione criminum possint intrare in quemcumque locum prædictorum soli et cum aliis ut eis vi-

debitur, salvo quod pro pignoribus faciendis non intrent prædicti officiales nisi cum duobus probis hominibus, qui sint dictæ insulæ.

14.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod nihil detis Baiulo vel officialibus nostris seu sagionibus, pro iustitia facienda vel exequenda. Si sagio vadat extra dictam villam Civitellæ vel castrum de Maho vel alia loca extra locum iudicis, dat ei conquerens, vel ille qui eum mittet, sex denarios pro leuca.

15.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod revenditor vini, farinae vel rerum comestibilium, si inventus fuerit cum falsa mensura, perdet penitus rem venalem, et quod inde habeat curia tertiam partem, et murus Ciutadellæ vel de Maho vel aliorum locorum, ubi murus sit vel fuerit et deliquerit, duas partes. Sed si acusator intervenerit, de duabus partibus muro assignatis habeat dimidiam sed si acusator non fuerit, habeat inde curia dimidiam partem, et dictus murus aliam dimidiam.

16.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod si flaquerio vendat panem de minus penso, quod solvat quinque solidos, vel ponatur in castello; et quod de dictis quinque solidis habeat curia duas partes, et murus tertiam partem.

17.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod nullus teneatur facere preconi vinum, oleum aut res venales; teneatur tamen ponderare et mensurare cum penso et mensuris curiæ, ut vobis est concessum; tamen ex quo posita erunt ad vendendum non possint vendi plus pretio posito, sed tota res venalis vendatur sine ulla mescla.

18.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod Vicarius, Baiulus vel sagio non possint cognoscere de falsitate pensi vel mensurarum, nisi in loco publico et coram probis hominibus Ciutadellæ; declaramus et determinamus locum publicum etiam ibi ubi curia tenebitur, quicumque fuerit locus ille; et quod præmissa habeant fieri coram aliquibus

probis hominibus quibuscumque Ciutadellæ vel loci illius, ubi fiat cognitio super prædictis.

19.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod non detur decimum pro calonia, nisi placitum firmatum fuerit ab utraque parte; sic quod reus det decimam partem de eo in quo condemnabitur, et actor decimam de eo in quo non.... et querimoniam fecerit; et quod de immobili non detur quintum neque decima.

20.—Item si quis conveniatur coram Iudice nostro per supplicationem nobis oblatam, possit habere accordium unius diei; et si confiteatur, possit dare pignora ad decem dies, sicuti et quod quicumque legavit per supplicationem coram iudicibus nostris, scilicet, de latere nostro, habeantur perinde ac si placitum esset firmatum in curia Vicari vel Baiuli.

21.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod omnes questiones quæ essent inter habitatores villæ Ciutadellæ et castri de Maho et aliarum villarum et locorum insulæ prædictæ, agitentur in locis publicis ubi Baiulus fuerit, et quod non teneamini venire ad domum Baiuli pro placito terminando; declarando locum publicum esse ubi curia tenebitur.

22.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod debitor vel fideiussor possit dare pignus suo creditori ad decem dies venditum per spatium trium dierum, si fuerit res mobilis quæ data fuit pignori; sed si fuerint data pignora bonorum immobilium, vendantur per spatium quatuor mensium.

23.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod fideiussor non teneatur respondere, dum principalis persona fuerit idonea ad satisfaciendum.

24.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod si quis dixerit alicui cugus vel presigat (*sic*), et statim ibi aliquod damnum acceperit, non teneatur inde respondere alicui damno (*sic*) vel eius locum tenenti.

25.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statui-

mus, quod si quis aliquis in aliquo crimine a curia vel baiulo detinebitur captus, non absolvatur, nisi det firmantiam de directo.

26.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod omnia iudicia causarum et criminum iudicet curia cum probis hominibus Minoricarum; videlicet, quod Baiuli et Iudices nostri dictæ insulæ præsentis et futuri vocent, seu vocare faciant quilibet, prout eis incumberit sex probos homines idoneos et sufficientes, et omni suspicione carentes, villæ Ciutatellæ vel castri de Mahono et aliorum locorum, ubi curia tenebitur et iudicia agitabuntur; inter quos unus sit primus, si commode haberi possit, a quibus recipiant iuramentum, quod bonum et legale et iustum concilium dabunt dictæ curiæ; et Iudices secundum bonam suam conscientiam, servatis consuetudinibus et libertatibus insulæ supra dictæ per nos nunch concessis, et illis defficientibus secundum Usaticos Barchinonæ in casibus illis in quibus in civitate et in insula Maioricarum Usatici prædicti vendicant sibi locum, et illis consuetudinibus et Usaticis defficientibus secundum ius comune, et quod teneant secretum super hiis quæ eis in petendo concilio revelabuntur, et quod per se nec per alium dictu seu factis et signis non faciant aliquid propter quod impediatur iustitia in præmissis; quibus peractis, partibus, ubi partes fuerint, vel eorum procuratoribus præsentibus, si adesse voluerint, cum suis advocatis, vel sine, prout partibus placuerit, negotium super quo ferenda erit sententia seriatim et plenarie dictis probis hominibus exponantur rationes et allegationes earum legantur, vel alter exponantur; et consequenter partibus exclusis dicti Iudices seu curia conferant cum prædictis sex probis hominibus, et consilium eorum requirant, et diligenter audiant et intelligant quod sibi duxerint consulendum. Ipsi vero iudices seu curia conferendo eis suam intentionem, expriment prius ante datum sibi consilium ab eisdem, et quid secundum ius et rationem sibi visum fuerit faciendum; et si omnes concordaverint, ad deffinitionem negotii procedere non morentur sententiam

suam in personam iudicum seu curiarum proferendo. Si vero dicti sex probi homines in aliam et sic in suis opinionibus et consiliis essent penitus discordantes, volumus et statuimus quod dicti Iudices seu curiæ iterato cum aliis sex probis hominibus ante sententiæ prelationem eodem modo et forma consilium habeant et tractatum. Quo secundo consilio habito, non differant dicti Iudices seu curiæ sententiam promulgare secundum consuetudines et privilegia insulæ ante dictæ, et illis deficientibus secundum ius commune, quamvis cum dictis probis hominibus prædicti Iudices seu curiæ non concordent.

27.—Item volumus et statuimus quod super interlocutoriis ferendis super omnibus quæstionibus supponendis, et aliis casibus, in quibus de iure civili ab interlocutoriis est licitum appellare, Iudices et curiæ Ciutadellæ et insulæ Minoricarum ad habendum concilium cum dictis probis hominibus, antequam interloquantur, procedant per eundem modum et formam, quem et quam in definitivis sententiis statuimus observari. In cæteris autem interlocutoriis, in quibus de iure civili non est licitum appellare, ad interloquendum procedant Iudices seu curiæ, prout eis visum fuerit faciendum, nullo consilio requisito. Super ferendis autem sententiis in causis appellationum interpositis et interponendis ipsas causas definiendo, statuimus quod per eandem formam et eundem modum procedere debeant iudicantes, quicumque fuerint, sive nostrum locum tenens, sive delegati a nobis vel successoribus nostris vel nostrum locum tenente prædicto; per quem modum et formam statuimus et volumus procedere Iudices seu curias in causis principalibus, ut superius est expressum. Ad modum autem et formam prædictos, vel ad aliquid de prædictis, nos seu successores nostros, vel Iudices nobis et successoribus nostris assistentes, et de latere nostro et succesorum nostrorum non intelligimus modo aliquo allegari, vel stringi. Iudices vero ordinarii, seu curiæ ordinariæ villæ et locorum insulæ supra dictæ, nullas expensas seu sportulas, nec aliquid pro primis sententiis exigere habeant seu requirant.

28.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod si aliquis condemnabitur unde penam sustinere debeat corporalem, non amittat bona sua, nec partem bonorum suorum, sed quod possit de eis testari, et dimittere hæredibus et cui voluerit; excipimus tamen inde crimen hæresis et lesæ magestatis ac falsæ monetæ, ut incidentes in illis, in personis et rebus suis, ut de iure fuerit, puniantur.

29.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod quilibet possit res suas proprias face præconizari, dum tamen fuerit præco constitutus a curia.

30.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod aliquis successor vel hæres noster, curia, Baiulus, vel aliquis locum tenens nostrum vel nostrorum, non faciat ullam forciam vel districtum in personis vel rebus vestris, dum parati sitis dare firmantiam de directo, nisi sit enorme crimen. Enorme autem crimen esse declaramus crimen læsæ magestatis, hæresis et falsæ monetæ, aut quodcumque aliud crimen vel delictum propter quod aliqua persona penam mortis sive corporalem debeat sustinere.

31.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod de omni clamore, sive quis neget, sive dubitet, habeat acordium unius diei, quo elapso si non firmaverit nec composuerit cum actore, habeatur pro firmato: itaque exeat inde directum.

32.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod omnes possessiones quas habetis vel in futurum habebitis in tota insula Minoricarum, seu alio loco nostræ dominationis, sint in perpetuum franchæ et liberæ et quitix ab omni, videlicet oste et cavalcata, et eorum redemptione, et ab omni questia, colta, forcia; item pro servitio et sucursu, et ab omni exactioni regali et vecinali, et demanda quæ dici et nominari possit quoquomodo, videlicet, quantum nos tangit; excepto quod possessor hæreditatis vel possessionis debeat facere staticam personalem in insula supra dicta, et exceptis censibus terræmns laudimiis et retentionibus faticharum, et instru-

mentis acquisitionum vestrarum dictarum possessionum et iuribus, aliis quæ pro terris et possessionibus debeant fieri et præstari.

33.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod omnes advocati debeant iurare in causis sub forma quæ sequitur: «Ego tallis iuro quod fideliter et legaliter in ad-»
 »vocationis officio me habedo, et nullam causam, quæ secun-»
 »dum nostram conscientiam iniusta videbitur, nuncquam reci-»
 »piam sub advocazione mea, nec sub patrocínio meo, nec ali-»
 »quit malitiose agam vel dicam in aliqua causa recepta sub-»
 »advocazione mea. Et si in principio, vel medio, vel fine cau-»
 »sæ iniusta causa mihi tunc videatur, statim dicam illi quem»
 »deffendam; et contra meam bonam conscientiam in aliquo»
 »non allegabo, et nunquam pactum faciam cum eo quem iuva-»
 »bo quod aliqua certa portio illius rei, de qua agitur, debeat»
 »esse mea; nec instruam vel informabo partes nisi de veritate»
 »dicenda.»

34.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod aliquis clericus non advocet in curia sæculari.

35.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod iudices et officiales nostri insulæ Minoricarum studeant modis omnibus quibus possint, lites tam civiles quam criminales abbreviare, et tam principales quam appellationum, et quod non admittant malicias seu calumnias vel frustatorias dilationes a partibus proponendas.

36.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod pro causis de vestris civilibus et criminalibus non teneamini ire vel litigare extra insulas Maioricarum et Minoricarum et Ivisæ, nisi nobis vel successoribus nostris Regibus Maioricarum pro propriis factis et negotiis nostris evidenter nobis et successoribus nostris, ut prædicatur, videretur illi aliud faciendum.

37.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod tenens locum nostrum Baiulus vel Vicarius, vel ab eis substituti non possint emere possessiones vel res immobili-

les, cum fuerin in officio, nisi de licentia nostra et nostrorum.

38.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod habeatis forum in villa Ciudadellæ, scilicet, die sabbati: et in Mercatallo die jovis: et in Mahono die lunæ.

39.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod iustitias Ciudadellæ neque insulæ Minoricarum criminales vel civiles non pignorabimus, vel vendemus alicui alicua causa.

40.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod dotes et sponsalitia mulierum sint salvæ et securæ sine aliquo firmamento dominorum feudi vel censualis, ac si ipsi Domini et expresse firmarent.

41.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod si quis mente considerata insequeretur aliquem causa interficiendi, quod puniatur eadem pena qua (*puniretur si*) interficeret.

42.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus quod Judei et Serraceni non accipiant pro usuris nisi quatuor denarios in messe de viginti solidis, licet alia pacta fuerint inter eos; et ex quo usura equiparata fuerit sorti, quod nullatenus inde constat, immo soluta sorte et usura equiparata eidem sorti teneatur additor intra restitutionem et pignora et fideiussores absolvere (*)

43.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod si aliquis tenuerit, vel amodo tenebit domos vel quamlibet aliam possessionem bona fide et iusto titulo continuo per decem annos sine demanda alterius et sine mala voce, et sit ulteris suo..... quod servetur inter maiores; et quod hoc statum non debeat nocere orfano vel pupillo, vel minori quatuordecim annorum, aut qui sit vel fuerit extra insulam Minoricarum. Et idem statuimus in præscriptione præsentium contra absentes, salvo quod hoc non intendimus debere servari

(*) Vitiata lectio.

contra nos vel successores nostros, sed inter alias personas in suo robore permanere.

44.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod quilibet habitator insulæ Minoricarum teneatur respondere de omni crimine et contractu sub curia Ciutadellæ, dem inveniatur, pro contractu vel delicto ibidem commisso.

45.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod universitas dictæ insulæ possit habere sigillum, sicut illud nunc habet.

46.—Item cum parum sit privilegia et libertates esse in villis et locis aliquibus, nisi sint qui eas procurent per dominos ipsorum locorum, et officiales eorum faciant observari; et ut hoc fiant in posterum in villa et insula supra dictis; Ideo nos Jacobus Dei gratia Rex Maioricarum prædictus concedimus vobis et vestris, et perpetuo estatuiamus ac etiam ordinamus, quod singulis annis in perpetuum nos et successores nostri, vel noster locum tenens, qui pro tempore fuerit in insula Minoricarum eligimus in vigilia festi Nativitatis Domini quatuor probos homines in Juratos qui sint de Ciutadella, quorum unus sit miles seu generosus; et illi quatuor procurent et tractent commodum villæ Ciutadellæ et totius insulæ supra dicti; hoc pacto quod quando per nostrum locum tenentem eligentur, vocentur Jurati antiqui, et per ipsum locum tenentem fiat electio juratorum in præsentia dictorum Juratorum, primo per eos præstito iuramento nobis vel successoribus nostris, aut pro nobis et successoribus locum nostrum seu successorum nostrorum tenentibus, qui pro tempore fuerint, quod ipsi toto posse suo perpetuo servabunt et custodient nobis et successoribus nostris fidelitatem, et defendant dominationem nostram; et iura nostra et honorem nostrum; et quod, salva fidelitate nostra et iuribus nostris salvis procurabunt utilitatem comunem villæ Ciutadellæ et totius insulæ Minoricarum et habitantium in eis, et inutilia et dapsosa totis viribus evitabunt: et quod nullum recipient servitium ratione alicuius rei sive causæ ad

officium juratorum pertinens; et quod secundum eorum conscientiam bonam fideles et utiles consiliarios eligent et assument sibi, de voluntate tamen et consensu nostro, vel locum nostrum tenentis, vel successorum nostrorum; et quod bene et fideliter in dicto officio juratorum per totum illud annum continue se habebunt, et consulent fideliter nobis et successoribus nostris, et locum tenentibus nostrum et successorum nostrorum, et aliis officialibus curiarum nostrarum, quando por nos vel eos fuerint requisiti. Volumus tamen quod prædicti consiliarii possint esse usque ad decem, et quod sin de Ciutadella, et in negotiis tangentibus universitatem dictæ insulæ vocent aliquos probos homines de Maho et de termino castri de Sancta Agada, et de aliis locis insulæ prædictæ, prout eis videbitur expedire: et quod prædicti decem consiliarii in posse Juratorum prestent sacramentam simile in omnibus juramento prædicto, quantum ad dictos consiliarios pertinet, in præsentia nostrum locum tenentis vel alterius a nobis super hoc deputati, quod dicti jurati facere tenebuntur. Statuimus etiam quod dicti quatuor Jurati teneant sigillum prædictæ universitatis, quo utentur et sigillent, prout res exegerit in negotiis universitatis. Nolumus tamen immo prohibimus expresse, quod dicti Jurati possint facere communem seu collectam aliquam sive exactiomen ab habitatoribus Ciutadellæ vel insulæ Minoricarum, aut etiam ab aliis, ac etiam deducere in iudicium negotia universitatis prædictæ agendo vel deffendendo, sine nostra vel sucesorum nostrorum, aut locum nostrum nunc, vel pro tempore tenentis voluntati et licentia spetiali.

47.—Item volumus et statuimus quod si prædicti jurati viderint aliqua ordinanda seu constituenda pro utilitate nostra et dominationis nostræ, vel pro communi utilitati universitatis vel communitatis, quod illa exponant nobis vel sucesoribus nostris, aut locum nostrum nunc et pro tempore tenentibus, ut ipsorum Juratorum consilio et aliorum proborum hominum dictæ villæ et insulæ, ut dictum est, audito, sicut nobis videbitur, nos et successores nostri ac locum nostrum tenen-

tes et succesoros nostri statuamus et ordinemus quæ nobis statuenda visa fuerint vel etiam ordinanda; et quod istud, quando iurabunt, iurare similiter teneantur. Insuper volumus et statuimus quod quilibet dictorum quatuor Juratorum habeant quolibet anno tempore sui officii octuaginta solidos a civitate (*de Palma, ubi moneta cudebatur*) pro suo labore. Possin etiam dicti iurati dictos suos decem consiliarios et alios quos de Maho et aliis locis vocabuntur, ut dictum est, congregare ad habendum concilium in ecclesia Beatæ Mariæ de Ciutadella, vel alibi, ubi locum nostrum tenens vel Baiulus noverit expedire.

48.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod aliquis de eodem debito non possit habere duo elongamenta, nisi nos vel succesoros nostri, vellemus ex evidenti casu pluries elongare, et tunc fiat mentio in rescripto de elongamenti prædictis.

49.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod si quis commitat vel faciat enorme crimen aliquod, debeat puniri per villam Ciutadellæ et parrochias insulæ Minoricarum, sic quod postquam fuerit aliquis bannitus, quæcumque persona quæ ipsum sustinuerit, vel recollegerit scienter domini Regio et suorum incursum cum omnibus bonis suis sed pro debito et comanda aut aliis contractibus initis inter quaslibet personas curia perquirat vel perquiri faciat ipsum debitorem, et emparet omnia bona sua, et mandet unicuique Domino navium et lignorum quod ipsum de insula non extrahat, et si hiis per actis non poterit inveniri quod banniat sub pena sexaginta solidorum.

50.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod quilibet qui recipiat censum vel tributum super aliquo honore vel possessionibus possit eas emperare et portas ex ipsis domibus extrahere, sive etiam ipsas claudere pro censu sive tributo, et etiam loquerio non soluto sua propria auctoritate cum solvat domino major per censum, sive tributum quem sibi faciet.

51.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statui-

mus, quod de aliquo fructu viridi que vendetur in castellis non accipiant aliquod jus nisi de suis, prout est ordinatum in instrumentis acquisitionum.

52.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod bladum remanens in circuitu quarteriæ ubi mensuratur totum, sit illius qui bladum vendet soluto jure seu mensuratur totum, sit illius qui bladum vendet soluto jure seu mensuratico dieti bladi.

53.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod possitis facere guaitam cum Baiulo vel Vicario Ciudadellæ vel aliorum locorum guaita fiet ad ordinationem tamen Bajuli vel illius quem Bajulus constituerit promittens dictam guaitam nunquam vendere vel alicui dare.

54.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod nullus pro debito capiatur dummodo sufficienter assicuret eum fidejussores vel alias secundum quod de jure fuerit faciendum salvis depositis et commandis de quibus aliter ordinare intendimus et salvis debitis nostris propriis et successorum nostrorum que in hoc nolumus intelligi ullo modo super quibus depositis et comandis cousque per nos fuerit aliter ordinatum volumus quod fiat sicut utitur et fit in civitate Majoricarum.

55.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod si mandatum fiet per nos forte ignorante contra franquias et privilegia Minoricarum, et gravata persona ad nos appellabit quod debeat supersederi in negocio per officiales nostros et nostrum, donec persona gravata comparuerit coram nobis et successoribus nostris, cui appellanti dari volumus tempus competens.

56.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod nullus possit esse Bajulus ex causa emptiones vel mutui.

57.—Item concedimus vobis et vestris et perpetuo statuimus, quod deffinitio facta alicui per filiam suam legitime constitutam quam fecerit de consilio et assensu mariti sui quod

valeat, nisi maritus suus fuerit stultus seu demens.

58.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod nullus Judeus possit mutuare captivo alicujus sub pigneribus: quod si fecerit amittat debitum sive mutuum.

59.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod omnes habitatores dictæ insulæ quicumque sint etiam advocati judices et legiste ipsius insulæ teneantur contribuere in collectis que fient ad communem utilitatem villæ Ciutadellæ et totius insulæ supra dictæ exceptis clericis.

60.—Item statuimus et dicimus super reparatione vallium et murorum villæ Ciutadellæ et castri de Maho et aliorum locorum ubi muros sit vel fuerit, et quod omnes personæ etiam milites teneantur solvere et ponere partem suam in armamento quod fiet ad defensionem et tuitionem insulæ supra dictæ.

61.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod omnes honores et possessiones emphitose et feudales possint dari estimati filiis et filiabus vestris tempore matrimonii sive nuptiarum sive solutione laudemi et consensu Domini.

62.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod fratres et sorores filii et nepotes cujuscumque defuncti, possint inter se dividere possessiones quæ ex successione parentum eis perveniunt sine laudimio et firmamento Domini; hoc excepto quod si in divisione intervenerit pecunia quod de illa solvatur laudimium.

63.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod si inquisitio fiat contra aliquem in speciali, quod primo citetur et conferantur ei capitula super quibus inquiri debeat contra eum; et quod videant jurare testes.

64.—Item concedimus, et perpetuo statuimus, quod non teneamini solvere nec parare *bovatica nec leuda vel pedagium*.

65.—Item concedimus vobis et vestris, et perpetuo statuimus, quod pro omni meatu per curritorem facto debeat dari honore Dei ad opus reparationis muri villæ Ciutadellæ vel

castri de Maho vel aliorum locorum ubi murus fuerit.

66.—Item concedimus vobis et vestris et perpetuo statuimus, quod per nobis aut nunciis nostris aut servis non detis qualibet die per unaquaque persona nisi duos denarios tantum per carcelagio quolibet die.

67.—Item statuimus vobis et vestris, et perpetuo concedimus quod omnes Bajuli et iudices qui nunc sunt et pro tempore fuerint in insula Minoricarum in principio seu regiminio teneantur jurare ad sancta quatuor evangelia presentibus juratis et aliquibus hominibus dictæ insulæ, omnes et singulas libertates et statuta per nos vobis et vestris concessas se servaturos et in nullo contraventuros mandantes tenentibus locum nostrum, Vicariis, Bajulis, iudicibus et universis aliis officialibus nostris presentibus et futuris, quod prædicta omnia per nos superius concessa et statuta firma habeant et observent et non contraveniant nec aliquid contravenire permittent aliqua ratione. Et ad majorem firmitatem et in testimonium premisorum presens instrumentum bulla nostra plumbea vulnerari fecimus et etiam sigillari. Ad hæc nos Sanctius Garcerii de Verga, filius militis, Barangarius de Villari et Dominicus de Torrentibus, syndici prædicti totius universitatis insulæ Minoricarum prædictam munificentiam nobis ab illustrissimo Domino Jacobo Dei gratia Rege Majoricarum Domino nostro recipientis humiliter et devote reddimus gratias Deo et vobis de omnibus libertatibus et ita statutis per vos nobis datis superius et concessis. Datum Majoricarum tertio kalendas septembris anno Domini millesimo CCC primo.—Signum † Jacobi Dei gratia Regis Majoricarum, Comitis Rossilionis et Serritanicæ et Domini Montis Pessulani.

Testes sunt nobilis Raymundus de Caneto, Domicellus, Raymundus Guillermi, Sacrista Elenensis, iudex illustrissimi Domini Regis Majoricarum supra dicti, Jacobus de Moredine, Baranguerius de Calderiis, milites, Barangarius de Olmis, Guillermus de Podio D'orfla, Petrus de Calidis, scriptor Domini Regis et Jacatelli iudex ejusdem Domini Regis. Signum † Petri

de Calidis qui mandato dicti Domini Regis hæc scribi fecit et litteris supra positis in XII linea, ubi dicitur secundum ordinationem prædictam et in quinquagesima VII linea, ubi dicitur ubi mensuratur totum, et clausit loco die et anno prædicto. = Ita est in suo originali continuato in libro dicto *Vermell* recondito archivo generalis Universitatis, et particularis Civitellæ, de quo fidem facio ego Vicarius ac secretarius infrascriptus. Die secundo junii 1785 ad requitionem Universitatis villæ Isleoris. q.^{tes} Joannes Carrió et Font, notarius et secretarius. = Loco sigillati.

LO DESENGANY

(Poesia menorquina)

Un falcadet d' ilusions
varen fer dins la mia ánima
un niu, com de colometas,
com de colometas blancas.

¡Ab quin goig las acullia!
¡Ab quin amor las criava!
M' adormían cada nit
ab la remor de sas alas
y ab la mateixa remor
cada mati 'm despertavan.

N' ha vingut un esparver
y totas han pres volada...

Esparver del desengany,
esparver de negres alas,
si ab tas arpes m' has ferit
en lo fons de las entranyas,
¿qué hi ha de fer dins mon cor
l' esbart de colomas blancas...?

Angel Ruiz y Pablo.